

DEUTSCHE
BIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT

6
22
1715
19
Q F F Q s

SVB AVSPICIS

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI
FRIDERICI AVGVSTI

SERENISS: PRINCIPIS REGI

ERVDITI MILITES

DVCTV

M: GODOFREDI VVAGENERI

ORD: PHILOS: ASRIPTI

COMMITITONE

IOANNE CHRISTIANO MVEHLAVIO

VRATISLAVIA SILESIO

A. CCC CI D. APR

IN CAMPVM PRODIBVNT

VITTEMBERGAE AD ALBIM

PRELO CREVSIGIANO

26



RECOTORIS ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMI
FREDERICI AGASTI
ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMOQUE
HEROI
IOANNI GODOFREDO
ASEBICH
S C M LEGATO BELLICO
CASTRI VRATISLAVIENSIS
PRAEFECTO FORTISSIMO
DOMINOVS INDVLGENTISSIMO
OMNIS


A. CIDICOC S D APR

IN CAMPAM PRODIBANT

VITTEMBERGAE AD ALBIM

1695
PRAESES CRRARIGIVNO





DISPUTATIO
DE
ERVDITIS MILITIBVS

PROOEMIVM



Iterae mentes animosque hominum excolunt, ac ad quaeuis negotia perficienda redundunt idoneos, atque illis, qui ad res uel sacras, uel publicas, uel bellicas, animum adiiciunt, modis haud unis prosunt, studiisque florentibus, cetera tantum non omnia florere consueuerunt. Magnam uero, ut de aliis in praesentia nihil dicam, scientiam ex literis sibi comparare possunt belli duces, quam deinceps, in expeditionibus suis, experientia comprobare queant. Id Romani

A 2

iam

iam olim perpenderunt, rati, non magis arma
et auxilia, quam consilia et prudentiam, in
bellis plurimum efficere posse. Testantur id
exempla Catonis, Scipionis, Luculli, Syllae,
Caesaris, Augusti, Tiberii, Hadriani, Traia-
ni, Antonini et Marci Antonii, Constantini M·,
Caroli M·, Ottonis M·, Caroli III, aliorumque
complurium, qui ex utroque Caesares et princi-
pes fuerunt. Neque uero apud Romanos so-
lum, sed etiam apud Graecos, aliasque gen-
tes, fuerunt, qui literas cum armis coniunxe-
runt, prout illud pluribus ex hac disputatio-
ne, quam de ERVDITIS MILITIBVS
conscripti, constabit. Neque militum so-
lum primarios, sed inferiores quoque, nec
scriptis modo claros, sed alios etiam, qui quidem
studiis operam dederunt, militiaeque inter-
fuerunt, aliquos proferre decreui.

IOANNES FECHNERVS,

Freistadio Silesius, dum in Academia
uiueret, militiae nomen dare est coa-
ctus, et, cum aliquando in itinere suo
rum quidam commilitonum inscriptio-
nem nanciseretur, primariisque eius exer-
citus

A

citus praefectus sciendi desiderio flagraret,
 quod nam eius esset argumentum , eamque
 ab causam exclamasset, quis mihi interpretari
 eam potest? Fechnerus non solum illi inscri-
 ptionem hanc praelegit, sed Germanicis quo-
 que uerbis expressit. Quo facto , non sine
 plausu, praefectus, Meliore, inquit, sorte di-
 gnus es , statimque inferiori militum ordini
 praefectis eum ascrispit , atque, ab eo tem-
 pore , ut dimitteretur , est annus. Relicta
 igitur militia, ad Musas reuersus, primum Lem-
 bergae Silesiorum , deinde Budissinae, in Lu-
 satia , Rector, tum, A. c. 15 15 cXL I, Elisabe-
 thani Gymnasii , apud Vratislauenses , post,
 ibidem Magdalenaei per septennium , et Eli-
 sabethani per triennium , Prorector, tandem
 que Rector Magdalenaei , est constitutus. † A.
 c. 15 15 cXXXc VI , aetatis XXc II . Vulgavit
Elysias Sylvas, uel, *Delicias Silesiae inferioris*,
Poema, de *Laudibus Montis Gigantei Silegio-*
rum, *Syntagma uariarum Dissertationum*. Vid.
 Nicol. Henelii Silesiographia, c. VII , p. 150 , Fri-
 der. Lucae Schlesische Denckwurdigkeiten, P. II ,
 c. V , p. 576 , Casp. Cunradi Silesia Togata, p. 70 ,
 Henningi VVittenii Diarri Biographici P. I ,

Sam. Grosseri Laufitzsche Merckwurdigkeiten,
p. 117.

VALENTINVS FORSTERVS,

Vittemberga Saxo , Brunsuicensis primum
Ducis Consiliarius , atque locorum eo perti-
nentium iudicij praeses , deinde , in Marpur-
gens , posteaque Heidelbergensi , Academia
iuris Antecessor constitutus , tandem Vor-
matiam sese , religionis causa , contulit , ubi ,
usque ad A. 1515 XCV , commoratus , ope-
ram suam Academiae Iuliae addixit . Annis
uitae Academicae uarias regiones peragrauit ,
atque , in Gallia militibus se ascribi , passus est ,
quam rem uitae ipsius , libro eius , de *Iuris-
dictione Romana* , praefixa , enarrator
sequentibus descriptis uerbis . In quod tempus
Forsteri in Gallia commoratio inciderit , indicio
erit bellum , quod Philippus , Caroli V filius , Rex
Hispaniae , gessit in ipsa Gallia , ad S. Quintini
oppidum . Tum autem , turbato regno , hospitum
non pauci , libris sepositis , arma et ipsi sumpse-
runt , alios coegerit uoluntas , alios alia compulit
necessitas . Nec enim est , ut , quae sic fiunt ,
omnia ratione fieri existimentur , aut , consilio
integro , fieri possint . Casus interdum res bo-
nas

nas offert hominibus, quanquam inuitis gra-
ues, et consilia salutaria suggesterit. Quotus
enim quisque se ex castris Musarum ad alte-
ra Martis referat? Tamen audimus, qui cen-
seant, neminem assequi uitae humanae usum
pleniorem, siue compotem, fieri prudentiae ci-
uilis uniuersae, nisi, qui aliarum nationum
leges rationesque uiderit et didicerit, de-
inde regiones aliquandiu introspexerit, de-
nique militiam tentauerit. Nos haec alii iu-
dicanda relinquimus. Militiae se tum, ad
tempus, addixit Forsterus, uti fit ενώ αένον-
τι τε θυμῷ, nec ipsum postea huius fortunae
poenituit, quam secundam, siue aduersam, quis
dixerit, siue disputauerit. Scriptis praeterea
de Successione ab intestato, de Historia Romana.
† A. c. 1519, Cal. Nouembribus, aet. LXXIX.
Monumentum sequens ei ab heredibus pos-
tum fuit.

MEMORIAE ET SPEI AETERNAE
HIC SITVS EST
VALENTINVS FORSTERVS
ADMIRABILIS INGENII ET FORTV
NAE EXEMPLVM
VITTEMBERGAE NATVS
LVTHE-

LVTHERVM ET MELANCHTHONEM
ADOLESCENTIAE SVAE MAGISTROS
SORTITVS EST
GALLIAM ITALIAM HISPANIAM
ET QVICQVID IBI MAGNVM
ACADEMIAS IN PRIMIS
PERLVSTRAVIT
ICTOS OPT MAX QVI TVNC FLORE
BANT
AVDIVIT
BITVRIG ICTI TITVLVM MERVIT
PRAESIDE HVG DONELLO
NATIONI TEUTONICAE LIBERT
RELIG IN GALL IMPETRavit
PATAVII MATHEMATICA ITALOS
PRIVATIM DOCVIT
VITTEMBERGAE ET INGOLST
IVRA
PVBLICE VERO MARPVRCI HEIDEL
BERGI HELMSTADII
LOCO ET ET LAVDE VBIQUE PRI
MARIA
CETERA
VIR BONVS BONVS ITEM CHRISTIA
NVS
ET QVOD HIC DICI NON POTVIT
LATHE

ABI LECTOR ET SCITO
AD TVMVLVM TE STETISSE VIRI IN-
COMPARABILIS

Vid. Gerhardi Theodori Meieri Monumenta
Julia, p. 103, sqq.

PHILIPPVS CLVVERIVS,

Gedani, A. c. 1510 LXXX, ortus, uir quidem
fuit perquam eruditus, linguae Graecae, La-
tinae, Etruscae, Britannicae, Sarmaticae, Bo-
hemicae, gnarus, Geographorum quoque suo
tempore princeps, sed, per omnem prope uit-
am, infelix. Muneri publico nunquam prae-
fuit, et, quanquam a purpuratis, ut in Italia
sedem figeret, inuitatus, in Academia tamen
Lugdunensi B., in qua literarum studiosos, pri-
uatos intra parietes, instituebat, et ab Aca-
demiae ephoris paupertas eius annuo quodam
stipendio subleuabatur, sibi pariter, ac Mu-
nis suis, ad extremum usque uitae terminum,
domesticas inter et acerbas calamitates, uiuere
praeoptauit. Cum Lugduni Batauorum in lite-
ras incumberet, et pater aliquando intelligeret,
Philippum suum a studiis legum, quibus eum
consecrauerat, abhorrere, ac multum pecuniae
dilapidare, eaque de causa sumptus ei ad stu-

B

dia

dia amplius suppeditare recusaret, Philippus primum in Bohemia, mox in Pannonia, per biennium castra est secutus. *Hic meliore fortuna dignus, uir Lugduni, in Batauis, pridie Cal. Ian., A. c. 1515 cxxii, aet. XLII, tabe confectus.* Ex eius scriptis extant, *Tabula Italiae, Libellus, de tribus Rheni Alueis et Ostiis, Germania Antiqua, Sicilia, Sardinia et Corsica Antiqua, Italia Antiqua, Introductio in Vniuersam Geographiam, tam ueterem, quam nouam, Disquisitio, de Francis et Francia.* Vid. Danielis Heinsii Oratio, in obitum Ph. Cluuerii, quae subiuncta est editionibus quibusdam Cluuerianae Introductionis ad Vniuersam Geographiam, Ioannis Meurpii Athen. Batau. L. II, p. 289, edit. Lugdun., A. c. 1515 cxxv, Cluuerii Epistola ad Siculos, quam Siciliae suae praemisit, Martinus Hankius, de Romanarum Rerum Scriptoribus, P. I, c. 84, p. 177, sqq., Hug. Grotii Epistola ad Pontanum, Roterod. A. c. 1515 cxvi, d. xx Ian.

GEORGIVS HORNIUS,

Germanus, ex Palatinatu Rhenano, uarios, ob bellum, quod tum temporis nemini parcerat, in iuuentute casus aduersos subire, immo,

mo, per aliquod temporis spatium castra se-
qui, est coactus. Primum enim, in Impera-
toris exercitu, tabularum militarium praefe-
ctus, deinde, inter Sueones, miles gregarius,
fuit. Tandem, hoc genere uitae relicto, Nori-
bergam, ad patruellem suum, D. Casparem
Hornium, Medicum ibidem, A: c15cxxxvi,
uenit, ibique, in Gymnasio Aegidiano, per an-
num, causa studiorum, commoratus, in Altor-
finam se Academiam contulit, sed, anno elat-
pso, rediit Noribergam. Anno c15cxxxix
ad Batauos contendit, ac per sexennium in
Groeningensi, deinceps etiam in Lugdunensi
Academia, per aliquod tempus, uixit. Tum
in Angliam profectus est, unde reduci Fride-
ricus Vilelmus, Princeps El. Brandenburgicus,
Carolus Ludouicus, Princeps El. Palatinus,
Comites de Nassau, aliquè, munera ipsi offe-
rebant, OO. item Geldrienses et Zutph.
Ioanni Christernio, ic., et Hornio nostro, po-
testatem dabant, nouam Academiam Harderui-
ensem inaugurandi, ubi cum per sexennium
docuisset publice, A: c15cclii, in Acade-
miam Lugdunensem uocabatur, ut ibi Box-
hornio succederet, et Historiarum ac Politices
prouincia fungeretur, † ibidem A: c15cclxx,

B 2

cum

cum in eo iam esset, ut, Lugduno relicto,
Heidelbergam adiret. Cum, ob aduentum
Caesaris, A: CICIO CXXXII, Noribergam uellet
fugere, in itinere infesto omni ueste fuit
exutus, neque uestes ipsi miles reddidisset, nisi
Terentii Comoedias secum habuisset, ipsique
adeo persuasisset, se literarum esse studiosum.
Scripsit Historiam Philosophicam, de Originibus Americanis LL. IIII, Geographiam Veterem, Sacram et Profanam, de Aetate Mundi, contra Isaacum Vossium, Defensionem eiusdem Dissert., Historiam Ecclesiasticam et Politicam, Orbem imperantem, Orbem politicum, Arcam Noae, seu, Historiam Imperiorum et Regnorum, ab orbis conditu usque ad nostra tempora, Arcam Moysis, siue Historiam Mundi, Introductionem in Historiam Uniuersalem, Historiam Naturalem et Politicam, Vlyssem Peregrinantem. Sub nomine Honori Reggii edidit quoque Ecclesiae Anglicanae statum, Res gestas in Anglia, Scotia et Hibernia, ab A: CICIO CXLV, Rerum Britannicarum LL. VII, etc. Vid. Hornii Dedicat. Hist. Natur., VVittenius, d.l., Iac. Frider. Reimmanus, Hist. Liter. Germ. P. III, Sect. III, p. 210, sqq.

CARA-

CARAMVEL DE LOBKOVVIZ,

Madriti, in Hispania, natus, iactisque studiorum fundamentis, coenobium ingressus, ac multis magnisque muneribus sacris passim functus, rei militari sese dedit. Principio cohortem, contra Sueonas ducentam, nactus, centurioque constitutus, tormentariae deinceps rei, in Bohemia, praeficiebatur. His honoribus in militia strenue gestis, ad sacrarum studia rerum se retulit, et initio, in Bohemia, tum, in regno Neapolitano, tandemque Vigleuanii, in tractu Mediolanensi, Antistes est factus, † ibidem, A. cīc iōc xxci, aet. LXXVI. Edidit *Δεπτότατον*, siue, *L. de noua Dialecto Metaphysica, Vigleuanii*, A. cīc iōc CLXXXI, in f., editum, in quo nouas suas de studio hoc cogitationes, plane singulares, profert. Inter alia enim dicit, praestare, si, praeter uerbum sum, alia quaedam recipentur uerba, e. c., sam, sem, sim, som, sum. Sam indicare rei essentiam, sem existentiam, sim aeternitatem simultaneam, som actum physicum, sum aliquam durationem. Porro inflectere etiam noua haec uerba per modos omnes docet, ita, ut infinitius sit sare, sere, syre, sore, sure, immo,

B 3

ter-

tertiam passui personam, utpote solum ex hoc genere usitatam, adiicit, *satur*, *setur*, *sytur*, *sotur*, *sutur*. Praetera addit, ex monosyllabis eiusmodi *dissyllaba* quoque fieri posse, e. c., *samo*, *semo*, *symo*, *somo*, *sumo*, item *saim*, *seim*, *syim*, *soim*, *siim*, quae haberent *actiuam* et *transitiuam* significationem. Addi etiam possent deriuatiua, ut *saimo*, *seimo*, *syimo*, *siimo*, iisque modos effendi imperfectos indicari. Ex *Participiis* noua pariter abstracta deriuari posse, e. c., ex *amatum*, *amaturitas*, ex *amandus*, *amandas*, ex *amabat*, *amabans* et *amabatus*, ex *amauerunt*, *amaue-*
runt et *amauerutus*, ex *amarunt*, *amaruns* et *amarutus*, ex *amauerant*, *amauerans* et *ama-*
ueratus, ex *amarunt*, *amarans* et *amaratus*, ex *ament*, *amens* et *ametus*, ex *amarent*, *ama-*
rens et *amaretus*, ex *amauerint*, *amauerins* et *amaue-*
ritus, ab *amarint*, *amarins* et *amaritus*, ab *amauissent*, *amauissens* et *amauissetus*, ab *amassent*, *amassens* et *amassetus*, etc. Sic, si in interpretatione uulgari, Matth. I, 19, legeretur, *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nolle tam traducere, εμΦατιωτέρως scribi posset, Ioseph autem vir effens iustus et non uellens, etc.* It. Matth. II, 9, *Qui cum audissent regem,*

regem, abierunt, neruofius dici posset, illi autem, audiuisentes regem, profecti sunt. It. Io. XXI, 25, uerba, ἔδε ἀντον, ὄμας, τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γηαφόμενα βιβλία, reddidit ita, ipsum, arbitror, mundum non posse capere libros scriberetos. Verum ab eiusmodi Metaphysicis liberet Parnassum Apollo. Dolendum sane, eum sacri codicis nouam quandam interpretationem, quae haud dubie, uel iratis Castaliis sororibus, Castalionis Ciceronianam uenustate et lepore superare potuisset, cum orbe eruditio communicare designatum esse. Conf. D. Ad. Rechenbergius, de Ineptiis Clericorum Rom. Literariis, §. 9, Paschius, de Inuentis Nou-Antiquis, c. 2, p. 51, sqq., Acta Erudit. Lips. A. cœiœc LXIII, p. 532, Reimmannus, d. l., p. 52, sqq.

C. ASINIUS POLLIO,

Orator et Consul Romanus, de Dalmatis triumphauit, atque M. Antonio, in bello ciuili, magno fuit usui, et, septem adhibitis legionibus, cum eo se coniunxit. Praeter *Orationes* et *Tragoedias*, carmine Iambico, trimetro, confectas, reliquit etiam *Historiarum* LL. XVII, ac, teste Suida, primus fuit, qui Graecorum

corum res gestas Latine descripsit. Augusto, roganti, ut secum ad bellum Actiacum profici sceretur, respondit, *Mea in Antonium merita maiora sunt, illius in me beneficia notiora.* Itaque discrimini uestro me subtraham, et ero praeda uictoris. †, teste Hieronymo, in Chronico, Olymp. cxcv, anno imperii Augusti XLVII, aetatis LXXX, in Tusculana villa. Vid. Gerardus Ioannes Vossius, de Historicis Latinis, I, 17, p. 80, sqq., de Poetis Latinis, p. 23.

ARATVS,

Sicyonius, Olympiadis cxxxii A. I, act. xx, patriam suam Achaeorum iunxit reipubl, ipso rumque praetor est factus, multasque res alias praeclare gessit. A. V. c. XL, Philippus II, rex Macedonum, cui tamen amissum regnum restituerat, ueneno ipsum interficiendum curauit. Nec uero Marti solum, sed Musis quoque, fuit deditus, ac *Historiam*, de Rebus ab Achaeis, et se ipso, gestis, confecit. Vid. Polybius, L. II, Plutarchus, in Arato, Vossius, de Historicis Graecis, I, 17, p. 88.

LVD-

LVDOVICVS CAMOENS,

Nobilis, a ciuibus suis Virgilius Lusitanorum dictus, in Academia literis incumbens, primis statim annis, studio poetico mirifice delectabatur. Cum uero sumptus ipsi ad studia deessent, militiae se dedit, missusque ad Afros, in pugna quadam cum Aethiopibus, contra quos strenue rem gerebat, teli iactu, oculum amisit. Hoc uitae genere relicto, in patriam redibat, et, quoniam uitam ibi nulla re poterat sustentare, in Indiam faciebat iter, ubi complures ex clas- ficiis praefectis sua sibi poesi familiares reddebat. At, aliquando in ipsorum primicerium, a li- terarum studiis abhorrentem, satyra confecta, fugam capere coactus, domumque reuerti contendens, facto in itinere naufragio, facultates, quas secum attulerat, amitterebat. Reuersus in patriam sumptibus defituebatur uiuen- di, sperabat tamen, arte sefe poetica patronos sibi concilare posse, eamque ob rem, A. C. 1569, poema, *As Lusiadas*, regi offerebat, uerum, rege adhuc iuuene, eiusque ministris artem hanc parum aestimantibus, spe, quam sibi conceperat, Camoens de- fraudebatur, et reliquum uitae tempus, usque

C

ad

ad A. c. LXXIX, in quo, anno aetatis L,
Lisbonae †, miseram transfigebat uitam. Reli-
qua eius Carmina, sub inscriptione, *Rimas de
Luis de Camoens*, prodierunt. Vid. Nicol. An-
ton. Bibl. Hispan., Lexicon Vniuersit. German.

FLORENTISSIMO HUMANISSIMO QVE
RESPONDENTIS VO
S. D. P.
PRAESES.

Incitasti me, ut eruditos denuo milites conscriberem, eosque tecum, commilito suauissime, producerem in campum. Desideriis itaque tuis gratificaturus, in pugnam, te comite, libens descend. Milites enim imitaris, qui non prius, quam probe exercitari, in aciem procedunt, ac semel iterumque, priuatos intra parietes, eruditis certaminibus interfuerint, iam uero publice comprobare gestis, te in eiusmodi exercitiis ita iam exercitatum esse, ut in lucem prodiere, expeditisque doctrinarum armis, cum dissidentibus congregandi, haud pertimescas. Evidem tibi gratulor de hoc egregio tuo conatu, atque, uti in Musarum castris strenue te geras, uictorque tandem a pugna discedas, et quam honestissime triumphum agas, precor. Erecto igitur ac minime perturbato animo hostium excipias tela atque depellas, haud ignarus, turpe, uinci, uincere autem, esse gloriosum. Corona et praemia, strenue certantibus promissa, te certo manent, quae ut tibi tribuantur olim, tuque dignum studiis tuis nanciscare munus, unice opto. Interim summus ille Imperator perbenigne tibi tuisque contibus adsit, cunctaque ex tui meique animi sententia fluere sinat. Ex Museo, A. c. 10cc xv, iii Cal. Aprilis.

de

ILLVSTRISSIME GENERO
SISSIMEQUE HEROS.

MAECENAS MAXIME

SAgum aequem, ac togam, eruditorum consiliis
indigere, Musarumque copiis instructum felici-
ores etiam in bello posse progressiones facere,
constat exploratumque est. Veram enim in
bello sedem inuenit prudentia, neque alibi teme-
re, quam in castris, iura seuerius obseruantur. Quid de
disciplinis mathematicis, architectura militari, no-
titia rei tormentariae, dicam, quippe quarum usus
undique se probat, uix ut ullus iis carere possit,
qui militiae fere consecrauit. Quae se omnino sic
habere, plus satis experientia docet, et, iam olim
illustribus Graecorum Romanorumque impera-
toribus in more positum fuisse, ut tam ore et cala-
mo, quam telo et gladio, rem gererent, ac reipubli-
cae prodeissent, abunde testatur. Haec ipsa quoque
disputatio, de Eruditis Militibus, dignitatem illo-
rum, qui gladio et eruditione praefstant, ostendit,
quam TIBI, ILLVSTRISSIME HEROS, religiosissi-
me offerre sum ausus. Neque enim me fugit, a TE
et aestimari eruditos, et ipsum TE in omnibus
doctrinae eruditiae spatiis, tanto quidem Heroe di-

gnis, eam esse gloriam assecutum, quam angustum
chartae huius spatum uix, ac ne uix quidem, capere
potest. Admitte igitur, GENEROSSIME VIR, le-
uidenter hoc munuscum benigna fronte, ab eo, qui,
TVA suffultus clementia, in hac Musarum et religio-
nis sede, in studia incumbit, TVISque in se imme-
rentem collatis beneficiis, perpetua celebrandis lau-
de, nihil non fert acceptum. Quod reliquum est,
DEVM immortalem persancte oro atque obtestor, ut
TE, in illustrissimae Familiae gloriam, clientumque,
in quibus meum etiam qualecunque nomen profiteri
debeo, solatium, saluum sospitemque praefest actu-
eatur. Interim, ut in posterum quoque mihi meis-
que Musis fauere pergas, modis omnibus abs TE
contendo, futurus, quoad uiuam,

ILLVSTRISSIMI NOMINIS AC

VIRTUTIS TVAE

admirator religiosissimus, ac

devinctissimus cliens,

Ioannes Christianus Muehlanius,

Philosoph. et S. Theol. cultor.

Wittenberg, Diss., 1715

ULB Halle
005 390 001

3



FarbKarte #13

B.I.G.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

